

DE SCRIPTORIBVS ECCLESIASTICIS Fol. 132

Carmina & orones uariae:

Et plures elegantissimae epistolae.

Claret hodie aetate uirili in cathedra ecclesiae wormaciensis praesul deo dignus & uaria conscribit: sub Maximiliano Romanorum rege clementissimo: & summo pontifice Alexandro sexto: Anno domini quo ad ipsum haec scribitur: Mill. CCCC. XCIII.

Baptista Guarinus: Veronensis: Guarini doctissimi uiri filius: cuius loco fecimus mentionem: uir certe patre non inferior: sed in omni fatura & disciplina bonarum artium eruditissimus: philosophus: orator & poeta omnium celeberrimus: graecae ac latinae linguae peritissimus & in utraque multum facundus: Scripsit & uertit multa praecleara opuscula: quibus uim & acumen ingenii sui prope diuini tam praesentibus quam posteris commendat. De quibus subiecta feruntur. Opus dialogorum perpulchrum:

De secta Epicurea:	li.	i
De ordine docendi:	li.	i
De regno administratione.	li.	i
In epistolis Ciceronis:	li.	i
In fastis Ouidij:	li.	i
In parabasia Lucani:	li.	i
In Catullum poetam.	li.	i
Epistolarum ad diuersos:	li.	i
Orationes quoque plures:	li.	i

Et si maphee charissime.

Et carmina uarij generis.

In latinum uertit subiecta. Ex Xenophonte Agesilai laudationem quam & dicauit Herimolao Barbaro seniori episcopo Veronensi. Orationes etiam quasdam Demosthenis: & Dionis historici. Sed & orones nonnullas Gregorij Nanzanzenis ad christum & Mariam. Et alia copiosa edidit & conuertit quae ad noticiam meam non uenerunt. Claret usque hodie Ferraria: ubi patri succedens: iam per annos tres & triginta utraque lingua florentissime docet: & uaria conscribit: sub Maximiliano Romanorum rege: & Alexandro papa sexto: Anno domini quo haec scribitur: Mill. CCCC. XCIII. Indictione duodecima. Habet & ipse filium graecae ac latinae eruditum: uita disciplinae sequentem.

Angelus Policianus uir undecumque peritus atque doctissimus: grammaticus celeberrimus: philosophus: orator & poeta insignis: graeco & latino ad perfectum instructus eloquio: ingenio excellens: qui sua eruditione & doctrina Italiam multo tempore illustrauit: Scripsit & uaria & praecleara uolumina: quibus nominis sui memoriam posteris commendauit. De quibus subiecta feruntur:

Centuriae quaedam:	li.	i
In errores linguae latinae:	li.	i
Epistolae uariae ad diuersos:	li.	i

Et quaedam alia scripsisse dicitur: quae ad noticiam meam non uenerunt. Hic ausus est Iliadam Homeri uersu latinis legendam exhibere. Claret adhuc in Italia (ut accepimus) uaria conscribit: sub rege Romanorum Maximiliano: & Alexandro summo pontifice sexto: Anno domini Mill. CCCC. XCIII.

Baptista Mantuanus: ordinis fratrum beatae Mariae semper uirginis de monte Carmeli: uir in diuinis scripturis eruditissimus: & in saecularium litterarum scientia nulli secundus: sacrae theologiae doctor: philosophus insignis: poeta & orator celeberrimus: ingenio excellens: sermone disertus: uita & conuersatione praeclearus: latinae linguae decus & graecae clarus interpretis: metro excellens & profusa: Scripsit utroque stilo multa egregia uolumina: quibus nomini suo per uniuersum orbem christianum famam celebrem acquisiuit. E quibus subiecta feruntur. Ad patrem suum:

t 4